



**V**itus apud Styrios anno circiter 1530 natus & educatus est. Is cum primum literarum gustum in patria percepisset, sese Argentinam contulit, & magna diligentia artium & linguarum cognitioni incubuit. In ijs etiam adeò profecit, ut Latinam, Græcam, & Hebraicam linguas sibi admodum familiares reddiderit. Inde ut Theologiæ operam nauaret, Vuitebergam profectus est. Ibi Euangelij doctrinam optimè percepit, & præclaram eruditionem sacrarum literarum sibi comparauit. Erat insuper pietati deditissimus, & naturali facundia præditus. Itaq; Vuormatiensis respublica eum suum Ecclesiasten elegit, & populum uerbo

Dei fideliter pascere iussit. Hanc uocationem Vitus modestè suscepit, & nihil intermisit, quod ad gloriam Christi aut Ecclesiæ incrementum pertinere cogitaret. Ut etiam doctrina, ita uitæ integritate conspicuus extitit. Itaq; Magistratus cum subditis magno zelo concionanti frequenter adsunt, atq; cum anno 1565 ibi essem, huius uiri animi & corporis dotes plurimùm prædicarunt, ut meritò ipsum hunc in locum collocandum arbitratus fuerim. Anon.